DE NVMENIO PHILOSOPHO PLATONICO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM THESIBVS

DIE XXXI MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXV

HORA X

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS THEDINGA

HANNOVERANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

HERMANNVS DE ROHDEN STVD. PHIL.
GEORGIVS LOESCHCKE STVD. PHIL.
GVSTAVVS HEYLBVT STVD. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

Vita scriptoris

Natus sum Ioannes Fridericus Thedinga Lingae die XXX Novembris a. h. s. IL patre Eduardo, Francisca matre. Litterarum primordiis imbutus patriae urbis adii gymnasium Georgianum, quod tunc Noeldecke, deinde Lahmeyer moderabantur. Successit in regimine a. h. s. LXVIII Arnoldus Passow, cuius viri optime de me meriti obitum praematurum semper lugebo. Auctumno a. h. s. LXIX examine pro abitu superato, Bonnam me contuli philologiae operam daturus. Anni h. s. LXXI mense octobri Berolinum migravi, post sex menses Gottingam. Ibi vero gravissimo morbo tantopere afficiebar, ut valetudinis recreandae causa studiorum cursum per annum interrumpere cogerer. Tandem finem studiis facturus per bis sex menses iterum Bonnae commoratus sum.

Docuerunt me Bernays, Bonitz, Buecheler, Haupt, Hiller, R. Kekulé, Lucianus Mueller, Sauppe, Ioannes Schmidt, Springer, Vsener. Exercitationibus ut interessem concesserunt philologicis Buecheler et Hiller, epigraphicis Buecheler, metricis Mueller, Kekulé archaeologicis. Seminarii philologici ut sodalis extraordinarius fuerim Vseneri Buechelerique benignitate factum est.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo quam maximas.

Theses

I Singulas in Phaedro dialogo orationes Plato scripsit, ut singulae, quas statuit animae partes illustrarentur, Lysiana oratione *τὸ ἐπιθυμητικόν*, Socratis priore *τὸ θυμοειδές*, Socratis altera *τὸ λογιστικόν*.

II Plat. Phaed. p. 62B et Cratyl. p. 413A verba *ἐν ἀποῤῥήτοις* ad mysteria sive Eleusinia sive Orphica referenda sunt.

III Plotin. Enn. IV, 4 p. 407 B (XXVI, 45, 20 Kirchh.) scribendum est: *δέδωκε τὸ αὑτοῦ ἦθος* (libri *εἶδος*) *θερμὸν ἐλαττόνως ποιῆσαν*.

IV Ioh. Philop. in Arist. de anima quatern. G, f. 7r *Οἱ μὲν πᾶσαν ψυχὴν ἀποθανατίζειν βουλόμενοι λέγουσι κτλ.* scribendum est: *ἀπαθανατίζειν*.

V Errant qui hominibus esse liberum arbitrium dicunt.

Inter eos philosophos, qui ante Plotinum in Asia atque Alexandriae Graecorum et imprimis Platonis philosophiae studebant, primum Numenius Apameae in urbe Syriae natus tenet locum [1]). Qui Platonis sententias ita interpretatus est, ut ad philosophiam, quae Neo-Platonica vocatur plurimum contulisse existimandus sit.

De tempore autem Numenii, quamquam nihil certi traditur, tamen saeculo post Chr. n. secundo, L. Vero, Marco Aurelio imperatoribus eum floruisse ex his caussis concludi potest. Primus enim Clemens Alexandrinus eum commemorat (Strom. I, p. 411 Potst. fr. XIII), deinde vero eius doctrinam de tribus deis secutus est Harpocratio, Attici, philosophi Platonici discipulus [2]). Atticum vero constat Marci Aurelii tempore vixisse [3]).

---

1) Suidas *Ἀπαμεὺς ἀπὸ Συρίας, φιλόσοφος Πυθαγόρειος κτλ.* Amelius Porphyrii vit. Plot. 17 *τὸν Ἀπαμέα Νουμήνιον.*

2) Proclus in Timaeum p. 93. *Ἁρποκρατίωνα δὲ θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ γε ἀρέσκοι, τοιαῦτα περὶ τοῦ δημιουργοῦ διαταττόμενος· ἕπεται γὰρ τῷδε τῷ ἀνδρὶ (Νουμηνίῳ), κατὰ τὴν τῶν τριῶν θεῶν παράδοσιν καὶ καθ' ὅσον διττὸν ποιεῖ τὸν δημιουργόν* Ibidem *Ἀττικὸς δὲ, ὁ τούτου διδάσκαλος.*

3) Cf. Zeller, Philolophie der Griechen V. 193, 6. IV, 718. Non igitur quem Capitolinus in Vero, 2 commemorat grammaticus Harpocratio idem esse potest atque philosophus, quod Barthius, ad Aeneam Gaz. 190 sq. ed. Boiss. contendit. Praeterea errat Barthius, cum dicit Numenium fuisse Plotini praeceptorem nec videt hanc sententiam illi priori repugnare; nam Plotinus anno p. Chr. n. 205 natus est.

Numenius ab omnibus qui eius mentionem faciunt scriptoribus Pythagoreus appellatur philosophus, neque dubitari potest, quin ipse sese ita appellaverit, quamquam nihil aliud nisi Platonis doctrinam ab Academicis philosophis obscuratam in integrum voluit restituere, quod infra ipsius Numenii verbis demonstrabimus. Platonem vero et Socratem doctrinam a Pythagora accepisse censet Numenius, de qua re conferantur ipsius in librorum '*περὶ τῆς τῶν Ἀκαδημαϊκῶν πρὸς Πλάτωνα διαστάσεως*' fragmento I, § 6. 7 verba. Paulo vero post dicit, Platonem inter Pythagoram Socratemque medium fuisse: ibidem, § 9, ubi verbis '*αὐτὸ τοῦτο*' Numenium notam aliquam atque usitatam de Platone sententiam attulisse indicatur.

Platonem Socratis atque Pythagorae doctrinas iunxisse atque miscuisse D i c a e a r c h i est sententia a Plutarcho tradita Quaest. conviv. VIII, 2, 2 p. 719: '*ἀλλ' ὅρα μή τί σοι προσῆκον καὶ οἰκεῖον αἰνιττόμενος λέληθεν* (*Πλάτων*), *ἅτε δὴ τῷ Σωκράτει τὸν Λυκοῦργον ἀναμιγνὺς, οὐχ ἧττον ἢ τὸν Πυθαγόραν ᾤετο Δ ι κ α ί α ρ χ ο ς.*' Hanc vero notissimam fuisse et recentioris aetatis philosophis valde placuisse apparet et ex ipso Plutarchi loco allato et ex eis quae Proclus (in Tim. p. 3) dicit, isdem fere quibus Numenius usus verbis. Sunt vero haec: '*εἴπερ οὖν καὶ ἄλλοθι που ξ υ ν ε κ ε ρ ά σ α τ ο τ ή ν τ ε Π υ θ α γ ό ρ ε ι ο ν κ α ὶ Σ ω κ ρ α τ ι κ ὴ ν ἰ δ ι ό τ η τ α, κἀν τῷδε τῷ διαλόγῳ τοῦτο φαίνεται ποιῶν. ἔστι γὰρ ἐν αὐτῷ παρὰ μὲν τῆς Πυθαγορικῆς συνηθείας τὸ ὑψηλόνουν, τὸ νοερόν, τὸ ἀπὸ τῶν νοητῶν πάντα ἐξάπτον, τὸ ἐν ἀριθμοῖς τὰ ὅλα ἀφοριζόμενον, τὸ μυστικῶς τὰ πράγματα καὶ συμβολικῶς ἐνδεικνύμενον, τὸ ἀναγωγὸν καὶ ὑπεραῖρον τὰς μερικὰς ἐπιβολάς, τὸ ἀποφαντικόν· παρὰ δὲ τῆς Σωκρατικῆς φ ι λ α ν θ ρ ω π ί α ς τὸ εὐσυνουσίαστον, τὸ ἥμερον, τὸ ἀποδεικτικόν, τὸ δι' εἰκόνων τὰ ὄντα θεωροῦν, τὸ ἠθικόν, πάντα τὰ τοιαῦτα.* Quae cum Numenii verbis ita congruunt, ut eiusdem auctoris, Dicaearchi utrumque vestigia eluceat pressisse. Denique poeta quoque anonymus in anthologiae Palatinae

epigrammate in Platonem composito l. IX, 188 Dicaearchi dicto usus est:

Πρῶτος δ' εἴς τε θεὸν καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμμα τανύσσας
Θεῖε Πλάτων, ἤθη καὶ βίον ηὐγάσαο,
Σωκρατικῷ Σάμιον κεράσας μυκτῆρι φρόνημα
Κάλλιστον σεμνῆς σχῆμα διχοστασίης [1]).

Neque tamen Pythagoram neque Platonem Numenius credidit sua atque propria docuisse, sed primarias philosophiae doctrinas eos accepisse a clarissimis gentibus orientalibus, a Brachmanibus, Magis, Aegyptiis, Iudaeis [2]); quam ob rem etiam Platonem, ut tradunt Clemens, Eusebius, Suidas (fr. XIII) appellat Mosem Attice loquentem [3]).

Optimo igitur iure Numenius, qui non solum Platonis doctrinam Pythagorae adscripsit, sed etiam, ut infra videbimus, Pythagoreorum modo de numeris libellum composuit, se ipse nominavit Pythagoreum.

Platonis vero dogmata plerumque convenire cum Mosis aliorumque Iudaeorum sententiis, ante Numenium Philo Iudaeus demonstratum iverat, quem in ratione Platonis interpretandi Numenius fortasse secutus est.

In Plotoni schola Numenii scripta diligentissime lecta esse testatur Porphyrius in vita Plotini cap. 14, immo fuisse qui Plotinum nihil proferre nisi Numenii sententias obicerent (cap. 17: *τὰ Νουμηνίου αὐτὸν ὑποβάλλεσθαι*). Qua re Amelius, Plotini discipulus et ipse Numenii philosophiae studiosissimus [4]) adductus est, ut librum scriberet de Plotini atque Numenii dogmatum discrepantia [5]). Atque quamquam,

---

1) *σχῆμα* ex Iacobsii coniectura pro vulg. *σῆμα* recepi.

2) Numenius, *περὶ τἀγαθοῦ* fr. IX. Origenes, contr. Celsum I, p. 13 ed. Hoeschel. IV, 51 (p. 204 H.)

3) Nostris temporibus A. Schopenhauer illud Numenii dictum laudavit. Nam ille quoque putat, Platonem theismum, quem vocant, a Iudaeis accepisse. Cf. Welt als W. u. V. I, p. 577.

4) Porphyr. Vita Plot. C. 3. Cf. infra p. 5.

5) Porph. ibidem 17: *περὶ τῆς κατὰ τὰ δόγματα τοῦ Πλωτίνου πρὸς τὸν Νουμήνιον διαφορᾶς.*

quod maxime doleo, hic liber servatus non est, tamen illam accusationem iure suo refutasse Amelium ex accurata elucet Numenii reliquiarum et Plotini scriptorum comparatione. Consentiunt enim hi philosophi in permultis et gravissimis rebus, sed cum uterque sit Platonicus, nihil est, cur id miremur, neque cur alterum putemus alterum transcripsisse. Praeterea difficile sane est intellectu, qui factum sit, ut Plotinus ab omnibus suis discipulis tamquam summus philosophus tantis laudibus efferretur atque tanta apud eos valeret auctoritate, si nihil nisi Numenii dogmata docuisset, praesertim cum huius philosophi scripta plurimis illius temporis hominibus litterarum studiis imbutis essent notissima.

Porphyrius quoque multis in rebus Numenium esse secutus traditur a Proclo in Tim. p. 24: *ἐπὶ δὲ ταύτης ἐστὶ τῆς οἰήσεως ὁ φιλόσοφος Πορφύριος, ὃν καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, εἰ ἕτερα λέγει* (leg. *λέγοι*) *τῆς Νουμηνίου παραδόσεως.*

Denique easdem philosophiae doctrinas in Cronii philosophi sententiarum reliquiis invenis [1]). Cronius vero Numenii discipulus fuisse videtur. Nam Porphyrius (de antro nympharum cap. 21) eum Numenii *ἑταῖρον* fuisse commemorat, *ἑταῖρος* vero non solum discipulum, sed etiam eum significat, qui cum altero in eadem est sententia [2]).

Sed satis de Numenii tempore, ratione, auctoritate. Iam ad scripta examinanda transeamus.

De Numenii scriptis.

Numenium permulta scripsisse ex eo patet, quod Porphyrius in vita Plotini cap. 3. p. XXI ed. Kirchh. Amelium

---

1) Porphyr. de antro nymph. 21. Iamblich. de anima, apud Stobaeum eclog. I, 40 (910). Mein. I, 41 (896). Nemesius, nat. hom. p. 50 Antv. 117 M.

2) Cf. Zeller, Phil. der Gr. V. p. 199, 5.

condiscipulum, ut eius diligentiam laudet, omnia Numenii scripta dicit exscripsisse, contulisse, maximam partem edidicisse: '*φιλοπονίᾳ δὲ ὑπερβαλλόμενος τῶν καθ' αὑτὸν πάντων, διὰ τὸ καὶ σχεδὸν πάντα τὰ Νουμηνίου καὶ γράψαι καὶ συναγαγεῖν καὶ σχεδὸν τὰ πλεῖστα ἐκμαθεῖν.*'

Trium philosophi librorum fragmenta servavit Eusebius in libro qui inscribitur 'Praeparatio evangelica', quorum maximi sunt momenti libri *περὶ τἀγαθοῦ*, qui continent Numenii doctrinam quam vocant metaphysicam. Priusquam vero de horum librorum fragmentis disputemus, pauca nobis dicenda erunt de libris: *περὶ τῆς τῶν Ἀκαδημαϊκῶν πρὸς Πλάτωνα διαστάσεως*, cum ex eis optime quae Numenii de Platone sit sententia perspiciatur.

Ex primo libro excerpta sunt, quae apud Eusebium l. l. XIV, cap. 5—9, § 2 leguntur. Continuerunt hi libri criticam, ut ita dicam, philosophorum Academicorum historiam sic conscriptam, ut eos paene omnes, quod a Platonis discessissent doctrina, vituperaret. In paucis illis quae attulit Eusebius fragmentis adumbratae sunt res Academicae inde a Speusippo usque ad Antiochum, quintae Academiae conditorem, quem Cicero Athenis audivit anno a. Chr. n. 79/78 [1]). Dogmata vero philosophorum leviter tantum illic tetigit Numenius, quam ob rem libro primo externas res expositas esse putamus, reliquis ipsa Academicorum philosophemata refutata. Quod ipse scriptor indicat fr. II, § 8 cum dicit: '*ὅπερ νῦν μὲν οὐκ ἔστι μηνύειν μοι ἐν καιρῷ, μνησθήσομαι δ' αὐτοῦ αὖτις, ἐπὰν κατὰ τοῦτο μάλιστα γενέσθαι μέλλω.*

Fragm. I. § 8 verbis '*ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς προὐθέμεθα χωρίζειν αὐτὸν (Πλάτωνα) Ἀριστοτέλους καὶ Ζήνωνος κτλ.*' adducor, ut Numenium putem initio huius libri Antiochum aliosque Academicos, qui Platonem, Aristotelem, Stoicos non

---

1) Plutarch. Cicero 4. Cicero de fin. V, 1, 11. Acad. post 1, 4. 13. pr. II, 35, 113.

rebus, sed verbis tantum dissentire contenderent, impugnasse, ibique Platonis, Aristotelis, Zenonis docuisse differentias. Quae sententia stabilitur verbis fr. II, § 11 his: *Ζήνωνα μὲν οὖν μέμνημαι εἰπὼν Ξενοκράτει, εἶτα δὲ Πολέμωνι φοιτῆσαι κτλ.*, quibus itidem Numenius ad priorem huius libri partem nos revocat.

In conscribenda historia Numenius isdem atque Diogenes Laertius fontibus usus esse videtur, nam in plurimis rebus cum eo consentit [1]). In fragmento primo, apud Euseb. XIV, 5 Speusippo Xenocrate Polemone breviter commemoratis Numenius suam de Platone sententiam exponit (cf. p. 2). Vituperat Academicos philosophos, quod Platonis doctrinam non puram atque sinceram servaverint, et Epicureos laudat, quod numquam a magistri doctrina recesserint [2]).

Deinde in fine huius et per totum secundum fragmentum (cap. 6 = fr. II. § 1 sqq.) disputat de Arcesilao et eius cum Zenone contentione. In capite septimo (fr. III) intolerabili loquacitate de Lacyde refert narratiunculam, quam multo brevius Diogenes Laertius tradidit. Quae in eiusdem capitis paragraphis 14 et 15 afferuntur ex Numenio hausta, sed ab Eusebio in compendium redacta esse recte Gaisfordium statuisse censeo. In sequentibus fragmentis (IV—VII), de Carneade disputatur, denique initio capitis noni (fr. VIII) de Philone et Antiocho.

Librorum *περὶ τἀγαθοῦ* fragmenta servavit nonnulla Eusebius in 'Praeparatione evangelica' ex libro primo,

---

1) Cf. adnotationes nostrae ad Numenii fragmenta.

2) Cf. Zeller l. l. V. p. 194: 'Mit der gesammten nachplatonischen Philosophie unzufrieden, will Numenius ganz zu Platon und Pythagoras zurückkehren. Diese beiden hält er nämlich für durchaus einverstanden, indem der erste derselben seine Lehre, wie er glaubt, ganz dem zweiten entlehnt und nur den Ausdruck aus nothwendigen Klugheitsrücksichten verändert habe.'

secundo, tertio, quinto, sexto excerpta; de libro quarto nihil traditum est. Utrum his sex libris totum Numenii opus contineatur an pluribus, diiudicari nequit.

Ipsa verba, quae Numenius libris suis inscripsit indicant, eum in scribendo spectavisse libros illos *περὶ τἀγαθοῦ* a Platonis discipulis editos. Talis liber etiam Aristoteli adscribebatnr, cuius saepius mentionem faciunt Aristotelis commentatores (cf. Brandis, de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono. Val. Rose, Aristoteles pseudepigraphus p. 46 sq.).

Quamquam Aristotelicos illos libros Numenii temporibus puto perditos fuisse, cum Alexander Aphrodisiensis, qui paulo post Numenium scripsit, eis usus esse non videatur (cf. Rose l. l. p. 47), tamen veri est simillimum, Numenium alius cuiusdam Platonici libris usum esse. Rerum principia in illis libris secundum Platonis Philebum (Rose l. l. p. 29. 46) assumptis Pythogoreorum placitis ponebantur *τὸ ἕν* et *δυὰς ἀόριστος*. Quae cum Numenio quoque principia universi sint, equidem mihi persuadeo, illum plurima eorum quae de bono, de monade, de indefinita dyade, de ceteris disputavit, ex illis Platonicorum libris hausisse, praesertim cum ipsum de Pythagora eiusque doctrina nihil certi scivisse e librorum *περὶ τ. τ. Ἀκ. πρὸς Πλ. διαστάσεως* fragmentis eluceat, et ipse sane persuasum habeat, totam suam doctrinam esse Platonicam (cf. p. 6). Illos igitur Platonicorum libros secutus, quos periisse omnes dolent, qui quomodo Platonicorum recentiorum doctrina ex ipsius Platonis sententiis oriri potuerit exquirere student, et ipse Numenius libros quibus de principiis universi agit, verbis *περὶ τἀγαθοῦ* inscripsit.

Praeterea eo quoque Numenius Platonis sectatorem atque imitatorem se praebuit, quod inscribendis libris dialogi forma est usus; id miror adhuc a nullo viro docto esse perspectum, praesertim cum in fragmentis non pauca exstent dialogi indicia. Duos enim introduci a scriptore personas, Numenium, vel qui

eius partes sustinet, fortasse Socratem, et hospitem quendam, ex eo maxime patet, quod in fragmento libri V (fr. XXIX, 18) ὦ ξένε legitur. Talia non nisi in dialogo posse dici nemo erit quin intellegat. Sed accuratius fragmenta inspicientibus plura etiam nobis occurrent dialogi vestigia. Numenius apud Eusebium XI, 18, 4 (fr. XXX) alteram personam alloquitur his: μὴ θαυμάσῃς δ' εἰ τοῦτ' ἔφην, πολὺ γὰρ ἔτι θαυμαστότερον ἀκούσῃ. Deinde in fragmento e libro II desumpto, postquam exposuit, ipsum incorporeum esse ens, adiicit haec: Ἔστω οὖν καὶ δεδόχθω, εἶναι τὸ ὂν τὸ ἀσώματον, quod sane supervacaneum fuit, si continua oratione usus esset Numenius. Denique in libri primi fragmento (Euseb. XV, 17 = fr. XI. XII) postquam Numenius docuit, materiam propter naturae suae inconstantiam non posse esse τὸ ὄν, adiicit τοῦτο δὲ ἦν, ὅπερ ἡμῖν αὐτοῖς ὡμολογησάμεθα ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, quibus hospes respondet: δοξάτω μάλιστα μὲν πᾶσι, εἰ δὲ μή, ἀλλ' ἐμοί. Omnino hoc fragmento, cum fere totum ex interrogationibus atque responsionibus constet (ut ναί, παντὸς μᾶλλον, παντὸς ἧττον) optime Numenii librorum formam intellegimus.

Quibus praemissis iam singulorum librorum περὶ τἀγαθοῦ fragmenta examinanda erunt. Ex libro primo desumpta sunt, quae apud Eusebium libro IX, 7. XI, 22 initio, XV, 17 leguntur. Gaisfordii sententia, etiam capita huius libri 18 et 19 Numenio esse tribuenda, compluribus de caussis probari nequit. Namque quae in eis exponuntur Stoicorum de inflammatione mundi placita Numenius cur in suis libris exposuerit, equidem intellegere non possum. Hic enim res vere entes esse incorporeas demonstrans ob hanc rem contra Stoicos pugnabat, qui omnia esse corporea docebant. Praeterea dicendi ratio in illis capitibus plane alia est ac Numenii. Accedit quod ipse Eusebius in fine capitis vicesimi dicit, quae antecedunt ex Arii Didymi libris a se esse excerpta: τοιαῦτα, inquit, καὶ τὰ τῆς Στωικῆς φιλοσοφίας δόγματα ἀπὸ τῶν ἐπιτομῶν Ἀρείου Διδύμου συνειλεγ-

μένα. Saepius autem auctoris nomen in fine demum excerpti affert Eusebius. Eodem modo atque hic paulo ante (cap. 15) amplius eiusdem Arii Didymi affert fragmentum, cum praecedens caput ex Aristoclis de philosophia libro septimo sumptum sit, et in fine demum capitis 15 legimus: *ταῦτα μὲν ἡμῖν ἀπὸ τῆς ἐπιτομῆς Ἀρείου Διδύμου παρακείσθω.* Quamquam igitur Eusebius post caput 17 ita pergit, quasi ex eodem quo antea sit usus auctore haec Stoicorum placita afferat, tamen capita 18 et 19 Numenii esse non possunt, sed Ario Didymo adscribenda sunt, praesertim cum et scribendi ratio et quae in eis exponuntur cum aliis eiusdem auctoris fragmentis optime congruant[1]).

Inter primi libri fragmenta primum sane est illud, quod apud Eusebium lib. IX capite 7 exstat et hisce ex verbis incipit: *Εἰς δὲ τοῦτο δεήσει ..... ἀναχωρήσασθαι κτλ.* (fr. IX, 1). Videmus igitur initio huius libri Numenium exposuisse suam philosophandi rationem. Neglecta enim Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum philosophia ad Platonis de summo bono doctrinam redeundum esse atque cum ea coniungendas esse putat Pythagorae et nobilissimarum gentium[2]) de uno, de deo, de ceteris sententias, quae

---

1) Postquam haec scripsi, vidi iam Krischium, Forschungen etc. I. p. 359, 483 haec fragmenta tacite Ario Didymo adscripsisse.

Etsi vetus librorum Eus. index capita XV, 18—20 Numenio non tribuit, tamen huius nomen capiti 17 adscriptum (in mss.) maturo tempore effecit, ut sequentia quoque illa ad Numenium referrentur. Certe Didymi mentio extremo c. 20 facta impedire non potuit quin Theodoretus Gr. aff. cur. V p. 73, 48 (200 Gf.) locum hinc petitum (c. 20 § 6 p. 822 b) Numenio tribueret: *Νουμήνιος δὲ ὁ Πυθαγόρειος πρὸς τούτους* (Stoicos) *ἀποτεινόμενος ἔφη 'τὴν δὲ ψυχὴν ... ... χρόνους'.*

2) *τὰ ἔθνη τὰ εὐδοκιμοῦντα* Numenius eas gentes appellat, quae deum esse incorporeum et unum putabant. cf. Origenes contra Cels. I, p. 13 H. (fr. IX a.)

cum Platonicis conveniant. Nam illud *τοῦτο*, quod initio huius fragmenti legitur, nihil aliud esse posse nisi Platonis *ἀγαθὸν* (ideam boni) apparet ex secundo huius libri fragmento (apud Euseb. XI, 22. fr. X, 1): *τἀγαθὸν δὲ οὐδενὸς ἐκ παρακειμένου (λαβεῖν ἡμῖν ἔξεστιν)*.

In hoc igitur fragmento Numenius rationem ac viam ostendit, qua ad boni et unius cognitionem possimus pervenire, quae via nulla sane alia est, nisi mentis a corpore secessus, a Graecis *ἔκστασις* appellatus, quem iam Philo Iudaeus tamquam viam quae ad dei cognitionem duceret praedicaverat, posteaque Plotinus summis laudibus et interdum isdem fere quibus Numenius usus verbis celebravit [1]). Videmus igitur Numenium primum exposuisse, cognitionem summi boni, quale Plato statuerat, summum esse philosophiae, deinde viam ostendisse, qua ad hanc cognitionem perveniamus; et cum illud *τοῦτο* fragmenti prioris quid sit omnino non dicatur, necesse est antea a Numenio Platonis de ideis et de bono doctrinam fuisse laudatam.

Quibus de philosophandi ratione praemissis Numenius suae ipsius philosophiae exordium videtur fecisse a clarissimo Platonis Timaei loco (27 D, 28 A.), ubi dicit Timaeus haec: *Ἔστιν οὖν κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε· τί τὸ ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μέν, ὂν δὲ οὐδέποτε; τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτόν, ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν, τὸ δ' αὖ δόξῃς μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστόν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε*

---

1) Plotin. Enn. IV, p. 465 A = II, 10, 30 Kirchh.: *σκόπει δὴ ἀφελών, μᾶλλον δὲ ὁ ἀφελὼν ἑαυτὸν ἰδέτω καὶ πιστεύσει ἀθάνατος εἶναι, ὅταν ἑαυτὸν θεάσηται ἐν τῷ νοητῷ καὶ ἐν τῷ καθαρῷ γεγενημένον. Ὄψεται γὰρ οὖν ὁρῶντα οὐκ αἰσθητόν τι οὐδὲ τῶν θνητῶν τούτων, ἀλλ' ἀϊδίῳ τὸ ἀΐδιον κατανοοῦντα πάντα τὰ ἐν τῷ νοητῷ, κόσμον καὶ αὐτὸν νοητὸν καὶ φωτεινὸν γεγενημένον, ἀληθείᾳ καταλαμπόμενον τῇ παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ, ὃ πᾶσαν ἐπιλάμπει τοῖς νοητοῖς ἀλήθειαν· ὡς πολλάκις αὐτῷ δόξαι τοῦτο δὴ καλῶς εἰρῆσθαι· 'Χαίρετ, ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος.'*

ὄν: quae ipse Numenius in secundi libri fr. XXI, §. 10 affert, ubi tamen verbis φέρ' ἀναμνησθῶ πῶς λέγει indicatur, scriptorem iam antea loci Platonici mentionem fecisse. Nam in tertio libri I fragmento quid sit τὸ ὄν quaerens, neque corpus neque materiam id esse posse demonstrat, sed tantum incorporeum. Atque cum, quod supra p. 8 commemoravimus, ad Stoicorum materialismum quem vocant refellendum Numenii verba afferat Eusebius, verisimile est, etiam Numenium nominatim contra Stoicos pugnasse. Isdem fere argumentis in libris περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς usum esse philosophum ad refellendam eorundem philosophorum de corporea animae natura doctrinam infra demonstrabimus.

Quid vero Numenius ante ea de quibus modo diximus protulerit ex ipsius verbis intellegimus his: ὥστε καλῶς ὁ λόγος ..... ἀθέμιστον εἶναι (fr. XII). Quibus ex verbis plane fit perspicuum, Numenium in praecedentibus de omnibus eis notionibus, quae rebus vere entibus non possunt attribui, fecisse sermonem et demonstravisse, eas omnes materiae posse attribui; hanc enim esse infinitam, interminatam, ratione carentem, non comprehensibilem, inordinatam, non stabilem atque ideo omnino non ens.

Cum vero pauca sint Numenii verba, unde hanc doctrinam intellegimus, plura de ea disseruit Chalcidius in commentariis ad Platonis Timaeum (cap. 293—297), quae cum ex hoc primo περὶ τἀγαθοῦ libro hausta esse videantur, infra ei adscripsimus (fr. XIV—XVIII). Quae Chalcidius de Numenio rettulit adhuc a viris doctis paene neglecta sunt, quamquam imprimis Numenii de materia doctrinae lucem afferunt. Moeller Gesch. der Kosmologie p. 93 dicit haec: »Man kann schon nach diesen Sätzen vermuthen, dass Numenius ähnlich wie Plutarch der Hyle ein gewissermassen widergöttliches Bewegungsprincip zugeschrieben habe. Es ist zu bedauern, dass über diesen Punct die Fragmente wenig Aufschluss geben.« Chalcidius vero manifestis verbis tradit, ex Numenii sententia materiam esse plane

noxiam, adversari deo sive providentiae, consulta eius impugnare malitiae suae viribus. Praeterea Chalcidius nos docet Numenium duas statuisse mundi animas, alteram bonam, malam alteram (cap. 295 = fr. XVI); nam materia quoque animata est, 'lege eorum omnium, quae genuino motu moventur'. (Chalc. ibidem cf. Plat. Phaedr. p. 245 C. D.)

Numenius postquam in libro primo demonstravit neque corpus neque ipsam materiam posse esse *τὸ ὄν*, sed incorporeum tantum quiddam, atque omnia enumeravit, quae de rebus vere entibus praedicari non possint, iam in secundo libro, cuius fragmenta apud Eusebium l. l. XI, 10 inveniuntur (fr. XIX—XXII), ad ipsum ens definiendum transit et demonstrat, quod sit incorporeum esse ens idque solum ratione comprehendi. Corpus vero semper moveri, neque eam ob caussam esse neque intelligentia et ratione, sed opinione tantum et sensu rationis experte percipi. Ea vero huius argumentationis pars, in qua demonstratur idem esse *τὸ ὂν* et *τὸ νοητόν*, non est servata; sed sine ulla dubitatione Numenius argumentis usus est Platonicis, nam Plato quoque entia tantum sive rerum ideas intelligentia et ratione posse comprehendi docuerat[1]). Praeter illa fragmenta nihil de libro secundo servatum est, sed veri est simillimum, scriptorem in eo de rebus supra commemoratis more suo latius atque fusius disputavisse.

Cum adhuc Numenius res philosophas tractaverit et ratione usus sit plane dialectica, admodum mirabile tibi videbitur primo adspectu libri tertii fragmentum, quod exstat apud Eusebium l. l. IX, 8. De rebus enim philosophis hic omnino non facit verba philosophus sed narrat Iannem et Iambrem, magos Aegyptiacos, cum magnas a Mose calamitates accepissent Aegyptii, gravissimas earum sustulisse.

1) cf. Plato de republ. V p. 477 A. *Ἱκανῶς οὖν τοῦτο ἔχομεν ... ὅτι τὸ μὲν παντελῶς ὂν παντελῶς γνωστόν, μὴ ὂν δὲ μηδαμῇ πάντῃ ἄγνωστον.*

Saepe in scriptis suis attulisse Numenium Mosis et prophetarum sententias, et in hoc libro etiam de Iesu Christo, 'allegorice' interpretatum narrasse, Origenes tradidit [1]). Cur vero narrationem illam de magis Aegyptiis attulerit Numenius, non difficile est diiudicatu, dummodo in memoriam revocaveris, dixisse eum in libri I fragmento primo, se ad Platonis Pythagoraeque praecepta confirmanda omnia esse adhibiturum, quae nobiles gentes, velut Brachmanes, Iudaei, Magi, Aegyptii eodam modo atque Plato docuerint atque instituerint. Unde apparet Numenium attulisse illam narrationem, cum de Aegyptiorum sententiis verba faceret, eumque omnino quae secundo libro disputavit, tertio aliarum gentium testimoniis comprobavisse. Quod vero hoc loco ars magica duorum sacerdotum Aegyptiacorum laudibus effertur, fortasse ideo a philosopho factum est, ut lectores Graecos edoceret, clarissimos illos viros, qui religiones illarum gentium mente divina inspirati constituerint, ut Moses, Zoroaster [2]) Aegyptiorum sacerdotes, homines fuisse non minus sapientes atque admirabiles quam Pythagoram. Nam Numenium Pythagoram omnibus eis virtutibus ornatum sibi finxisse, quas recentiores Graeci ei attribuerant, ex paucis illis quae de eo dicit satis apparet.

Quae cum ita sint, necesse est Numenium ante illud fragmentum, sive in fine libri secundi, sive initio tertii id fecit, docuisse illud de quo antea egit ens incorporeum idem esse atque deum. Nam philosophum eas respexisse gentes quae deum esse incorporeum statuissent, iam supra commemoravimus. Antea vero in fragmentis dei nusquam mentio facta est.

---

1) Origenes contra Cels. IV, 51. I. p. 13. H. = fr. XXIV.

2) Zoroastri quoque doctrinam a Numenio fuisse laudatam, cum ex eo licet concludere, quod inter gentes supra commemoratas Magi h. e. Persae nominantur, tum per se est consentaneum. Nam ut a Numenio τἀγαθὸν et ὕλη, ita a Zoroastro Ormuzd et Ahriman tamquam principium boni et principium mali opponuntur.

Paulo difficilius est ad dignoscendum, quomodo fragmenta libri quinti et sexti inter se cohaereant et cui libro illa fragmenta sint attribuenda, quae Eusebius lib. XI cap. 18 affert, cum Numenii librum ex quo haec sumpserit, non addito numero significet [1]). Quae quidem ex libro sexto excerpta esse non posse inde licet concludere, quod Eusebius allatis eis dicit haec: *ἐπὶ τούτοις καὶ ἐν τῷ ἕκτῳ πρoςτίθησι ταῦτα*, quibus verbis aperte indicat, se iam alium quam antea evolvere librum. Numenium in libro secundo vel tertio, postquam demonstravit, idem esse *τὸ ὄν* et *τὸ νοητόν* (lib. II. fr. XXI) etiam de Platonis ideis fusius disputavisse eiusque de eis doctrinam suam fecisse cum per se est verisimile, tum eis verbis confirmatur, quibus incipit fragmentum XXV ex libro quinto ab Eusebio XI, 22, 3 adlatum: *Εἰ δ' ἐστὶ μὲν νοητὸν ἡ οὐσία καὶ ἡ ἰδέα κ. τ. λ.* Sed illam potissimum Platonis perobscuram de idea boni doctrinam recepit et exornavit, cuius in libris nostris Platonicis pauca tantum exstant indicia. Sine dubio igitur Numenius in libro quarto vel quinto, certe in eis quae illud libri quinti fragmentum praecesserunt, demonstravit, res entes et intelligibiles quas antea statuerat, non per se esse entes et intelligibiles, sed essentiam suam ab alio quodam accipere principio. Nam idearum exstat multitudo, ante multitudinem vero, si sequimur Platonem, Pythagoreos, Numenium, esse debet unum, ante res intelligibiles ipsa intelligentia, ante res entes quod per se est (*αὐτὸ τὸ ὄν*). Illud unum, illam intelligentiam, illud per se ens complectuntur uno nomine boni (*τἀγαθοῦ*). Corroboratur haec sententia Syriani et Procli testimoniis (fr. XXXVII) qui referunt, Numenium statuisse, etiam in rebus intelligibilibus esse *μέθεξιν*. Ideae pariter primi boni participes sunt atque res sensibiles idearum.

---

1) Euseb. XI, 17 fin. illa fragmenta his verbis introducit: *ὁ δὲ Νουμήνιος τὰ Πλάτωνος πρεσβεύων ἐν τοῖς περὶ τἀγαθοῦ τάδε καὶ αὐτὸς περὶ τοῦ δευτέρου αἰτίου λέγων διερμηνεύει.*

Talem fuisse Numenii argumentationem aperte demonstratur verbis fragmenti iam supra commemorati *εἰ δ' ἐστὶ μὲν νοητὸν — οὐσίας εἶναι ἀρχή* (fr. XXV.) Quibuscum est conferendus locus Platonicus libri de republ. VI p. 509 B: *καὶ τοῖς γιγνωσκομένοις τοίνυν μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναί τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι, οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.*

Cum in eis quae adhuc tractavimus libris deorum omnino mentio non facta sit, necesse est, Numenium suam de deis doctrinam ante hoc fragmentum protulisse, in quo de primo et secundo deo disputatur (infr. p. 16).

De Numenii doctrina cum Moellerus in libro qui inscriptus est 'Geschichte der Kosmologie in der griechischen Kirche bis auf Origenes' p. 91—108 copiose atque accurate exposuerit, nos, ne viri docti verba iteremus, de hac re ea tantum dicemus, quae ad intellegendum fragmentorum contextum videntur necessaria esse. Numenii principia universi sunt monas et indefinita dyas (cf. Proclus in Tim. p. 187 fr. XLVI). Illa monas est deus, dyas materia. Tres vero statuit esse deos, quorum primus et summus est ipsum bonum (*αὐτὸ ἀγαθόν*), principium essentiae. Hic deus omnino simplex et immutabilis est, atque ideo, cum nec sua sponte nec aliena vi ac necessitate a natura sua discedat, mundum efficere non potest. Quam ob rem Numenius ab eo discrevit alterum deum, quem opificem (*δημιουργόν*) appellat. Qui deus est generationis principium, nam materiam appetit atque eam exornat. Numenium hunc deum etiam *δύναμιν* et *ἐνέργειαν* primi dei appellasse Proclus (in Tim. p. 299 fr. XXXVIII) testatur. Ex illa dei opificis cum materia coniunctione tertius fit deus, scilicet mundus. Hos deos philosophum etiam *πάππον, ἔγγονον, ἀπόγονον* appellasse idem Proclus tradidit (in Tim. p. 93 fr. XXXVI). Ex Numenii sententia idem est *τἀγαθόν* atque *νοῦς*, quam ob

rem etiam he triplice mente divina locutus est (Proclus ib. p. 268. fr. XXXIX).

Monendum vero est, Numenium hanc quoque de tribus deis doctrinam Platonicam atque adeo Socraticam esse putare. cf. Num. *περὶ τῆς τῶν Ἀκαδ.... διαστάσεως* fr. I. Quod mirum non est. Nam Platonis de deo doctrina tam obscura est, ut nostra quoque aetate nonnulli viri docti, qui historiam philosophiae scripserunt, Platonem aut revera deum creatorem a summo deo discrevisse aut in hac re pugnantia locutum esse putaverint [1]). Consulto Platonem doctrinam de deis obscuritate quadam involvisse, ut secure scribere posset, sentit Numenius, de qua re conferas ipsum l. l. fr. 1. § 7. et in fragmento libri de arcanis Platonis infra allato (fr. XLI). Mundum vero ut tertium statueret deum, sine dubio adductus est verbis Platonis quae in fine Timaei leguntur his: *θνητὰ γὰρ καὶ ἀθάνατα- ζῶα λαβὼν, καὶ ξυμπληρωθεὶς ὅδε ὁ κόσμος, οὕτω ζῶον ὁρατὸν καὶ ὁρατὰ περιέχον, εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεὸς αἰσθητὸς, μέγιστος καὶ ἄριστος, κάλλιστός τε καὶ τελεώτατος γέγονεν, εἷς οὐρανὸς ὅδε, μονογενὴς ὤν.*

Iam cum tres esse deos docuisset Numenius, de eorum natura disputare eum oportuit. Ac disserit de ea in fragmento libri quinti supra commemorato, et primum deum principium essentiae, secundum principium generationis esse docet. Cum vero in eis fragmentis quibus numerum libri

---

1) Vacherot, histoire de l'école d'Alexandrie I, p. 27: »Ce dieu vivant et créateur, ce dieu bon, qui crée parce qu'il veut créer, qui crée comme un artiste incomparable, le regard fixé sur le modèle des idées, est-ce l'idée immobile et inaccessible du bien? Selon la dialectique dieu ne se distingue pas des idées, il n'en est que le type suprême, il est l'idée des idées. Dans le Timée dieu se distingue des idées comme l'artiste du modèle qu'il a sous les yeux. Aussi Platon ne dit-il pas qu'il est le bien, mais seulement qu'il est bon. Il apparaît plutôt comme un dieu de second ordre, une sorte de démiurge que comme le dieu suprême.

unde sint hausta non addit Eusebius accuratius exponatur, quaenam ratio sit inter primum et secundum deum et quod utriusque sit munus, persuasum mihi est, haec excerpta libro quinto esse attribuenda et post fragmentum eiusdem libri supra commemoratum inseranda.

Denique in libro sexto pergit Numenius explicare de deis doctrinam, exquirit, quomodo deus opifex (*ὁ δημιουργός*) descendat ad materiam et ex ea mundum efficiat, disputat de communicatione scientiae. Quo in libro id quoque egisse philosophus videtur, ut sententiarum suarum testimonia afferret e Platonis scriptis, compluries enim in paucis illis quae servavit Eusebius fragmentis ad Platonem nos revocat.

Praeter Eusebii et Chalcidii excerpta in Procli commentario in Platonis Timaeum exstant nonnulla, quae sine dubio e Numenii *περὶ τἀγαθοῦ* libris hausta sunt quaeque infra fragmentis adscripsimus.

Tertius libellus *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀποῤῥήτων*, ex quo parvum fragmentum Eusebius l. l. XIII, 5 affert, unum tantum librum videtur habuisse, nam laudatur *ἐν τῷ περὶ κ. τ. λ.*

Quae Platonis arcana hoc libro Numenius detexerit, elucet ex ipso fragmento, quod infra adscriptum habes (fr. XLI). Hoc igitur fragmento Numenius Platonem in Euthyphrone explicat propterea contra populares illas Graecorum de deis sententias palam aperteque non pugnasse, ne Atheniensibus caussam praeberet ʻut in eo, quemadmodum et in Socrate interficiendo suam denuo improbitatem expromerentʼ. (Viger.) Suae igitur, si Numenio fidem habueris saluti prospiciens Plato in Euthyphrone ea de caussa dialogi forma usus est, quo magis qaenam sua ipsius de vera pietate esset sententia, in dubio relinqueretur. Quod interpretationis specimen docet, Numenium omnino non ingeniosissime Platonem esse interpretatum.

Quattuor praeterea Numenii libros commemorat Origenes in libris contra Celsum, cum l. IV, 51 (p. 204 ed.

Hoeschel.): *Ἐγὼ δ' οἶδα καὶ Νουμήνιον, ἄνδρα πολλῷ κρεῖττον διηγησάμενον Πλάτωνα καὶ τῶν Πυθαγορείων δογμάτων πιστεύσαντα, πολλαχοῦ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ ἐκτιθέμενον τὰ Μωυσέως καὶ τῶν προφητῶν καὶ οὐκ ἀπιθάνως αὐτὰ τροπολογοῦντα, ὥσπερ ἐν τῷ καλουμένῳ Ἔποπι καὶ ἐν τοῖς περὶ ἀριθμῶν καὶ ἐν τοῖς περὶ τόπου.* Tum lib. V, 57: *Τοιαῦτα δ' ἀνέγνωμεν παρὰ τῷ Σολεῖ Χρυσίππῳ τινὰ περὶ Πυθαγόρου, ἤδη δὲ καὶ παρά τισι τῶν νεωτέρων καὶ χθὲς καὶ πρώην γεγενημένων, ὥσπερ παρὰ τῷ Χαιρωνεῖ Πλουτάρχῳ καὶ τῷ Πυθαγορείῳ Νουμηνίῳ ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς.*

Quibus e libris quamquam nulla neque Origenes neque alii nominatim afferunt fragmenta, exstant tamen quae ex hisce desumpta esse possint. Argumenta autem fere librorum significantur inscriptionibus. *Ἔποψ* enim idem est atque *ἐπόπτης*[1]), hoc est maiorum mysteriorum particeps. Itaque mysteria sive Eleusinia sive Orphica in usum philosophiae suae Numenius hoc libro interpretatus est explanavitque[2]).

Illam vero minus usitatam nominis formam fortasse ideo adhibuit, quod upupa pro ave divinatoria habebatur, teste Platone (Phaedonis p. 85 A. B.) — *ἥτε ἀηδὼν καὶ χελιδὼν καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν· ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν, οὔτε οἱ*

---

1) Hesychius: *ἔποψ· ἐπόπτης, δυνάστης καὶ εἶδος ὀρνέου.*

2) Quamquam Lobeck. Aglaoph. p. 126 sqq. contendit, ubique apud scriptores philosophos disputationem epopticam significare doctrinam metaphysicam et numquam vocibus *μυστήρια, ἀπόρρητα* cet. significari Cereris et Liberae sed semper philosophiae arcana, tamen non dubito, quin Numenius in Epope revera egerit de mysteriis Eleusiniis. Nam illius metaphysica doctrina continetur libris *περὶ τἀγαθοῦ*, de arcanis vero philosophis scripsit in libro *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀποῤῥήτων*. Ex Epope igitur derivatam esse puto fabulam illam Macrobianam (infra p. 19), quam meo quidem iudicio frustra explodere studuit Lobeck. l. c. p. 143.

κύκνοι· ἀλλ' ἅτε, οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες μαντικοί τέ εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν Ἅιδου ᾄδουσι κ. τ. λ. Quem locum fortasse respexit Numenius.

Corroboratur nostra de huius libri argumento sententia loco Macrobii (in somn. Scipionis I, 2, 19): 'Numenio denique inter philosophos occultorum curiosiori offensam numinum, quod Eleusinia sacra interpretando vulgaverit, somnia prodiderunt, viso sibi ipsas Eleusinias deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes, admirantique et causas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti respondisse iratas, ab ipso se de adyto pudicitiae suae vi abstractas et passim adeuntibus prostitutas.'

Qualis vero fuerit Numenii mysteriorum interpretatio, idem Macrobius docet in Saturnalibus I, 17, 65. fr. XLII. Quae sumpta esse ex Epope apparet. Nominum vero in eis interpretatio haud dissimilis est Platonicae illi in Cratylo prolatae.

Eidem libro attribuendum esse videtur id quod commentator quidam Neo-Platonicus in Platonis Phaedonem (cuius reliquiae exstant in Finckhii editione Olympiodori scholiorum in Phaedonem[1]) de Numenio adnotavit ad locum Plat. Phaed. p. 62 B: '*ὅτι τούτοις χρώμενοι τοῖς κανόσι ῥᾳδίως διελέγξομεν, ὡς οὔτε τἀγαθόν ἐστιν ἡ φρουρά, ὥς τινες, οὔτε ἡ ἡδονή, ὡς Νουμήνιος.*'

Locus Platonicus supra commemoratus hic est: '*ὁ μὲν οὖν ἐν ἀποῤῥήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν, μέγας τέ τίς μοι φαίνεται καὶ οὐ ῥᾴδιος διϊδεῖν.*'

Disputat ibi Plato contra necem voluntariam, illam

---

1) Nam quae in illa Olympiodori editione inde a pag. 66 leguntur, reliquias esse opusculi ab Olympiodori commentariis diversi Finckhius in praefatione p. VI et VII demonstravit.

dicens eam ob caussam non esse permittendam, quod homines in terra tamquam in carcere coerceantur. Nam carcerem, non stationem φρουράν esse, recte Stallbaumius vidit. Talia dicit Plato ἐν ἀποῤῥήτοις doceri. Quaeritur igitur, quaenam arcana sub voce ἀποῤῥήτοις hoc loco sint intellegenda.

Stallbaumius ea refert ad arcanam Pythagoreorum doctrinam (quamquam eos fortasse nonnihil vidisse concedit, qui cogitaverint de mysteriis Orphicis) mysteria nusquam apud Platonem nomine τῶν ἀποῤῥήτων nominata esse contendens. Olympiodorus vero ad hunc locum (p. 3 Finckh.) et Proclus ad Platonis Polit. p. 372 ad mysteria Eleusinia Platonem respicere arbitrantur. Utri Platonis sententiam magis assecuti sint, nostra nil refert: hoc enim, Numenius quid statuerit, quaerimus. Gravissimum igitur nobis est quod posteriores Numenio Platonici locum Phaedonis ad sacra Eleusinia rettulere; hinc enim veri fit simillimum, idem Numenium fecisse. Quae cum ita sint, etiam illam Numenii de carcere sententiam ex illius Epope a commentatore esse desumptam, facile tibi persuadebis.

Ad illam vero sententiam, nos voluptate tamquam in carcere detineri Numenius hic fortasse adductus est loco Platonis Crat. p. 403 C, ubi voluptatem sive cupiditatem dicit Socrates esse vinculum etiam validius necessitate:

Σω. Εἰπὲ γάρ μοι, δεσμὸς ζώῳ ὁτῳοῦν, ὥστε μένειν ὁπουοῦν, πότερος ἰσχυρότερός ἐστιν, ἀνάγκη ἢ ἐπιθυμία;

Ἑρμ. Πολὺ διαφέρει ὦ Σώκρατες, ἡ ἐπιθυμία.

Ex his igitur apparet, quid fere in Epope Numenius sibi voluerit. Eum in conscribendo hoc libro ad Platonis Cratylum puto respexisse, nam eiusmodi etymologiam ei magnopere placuisse consentaneum est. Numenius enim, ut omnes Asiani philosophi, allegoriam coluit. Id tenendum est de eius sententiis atque scriptis, imprimis de libris περὶ ἀριθμῶν iudicaturo.

Quamquam enim e libris *περὶ ἀριθμῶν* fortasse ne verbum quidem nobis servatum est, tamen e Procli commentariis in Platonis Timaeum perspicimus, quomodo in his libris Numenius notiones philosophas more Pythagoreorum recentiorum explicaverit et in numeros redegerit. Narrat enim Proclus l. l. p. 225. Theodorum Asinaeum, Iamblichi discipulum, *Νουμηνείοις λόγοις* repletum nonnulla hariolatum esse de litteris quae efficiunt vocem '*ψυχή*'. Quae vero in proximis Proclus de Theodori sententiis refert, magna ex parte profecto esse Numeniana inde elucet, quod in eis, quae Proclus p. 226 ex Iamblichi libris affert, quos ille contra Amelium et Numenium scripsit [1]), tota fere istarum Theodori sententiarum series damnatur. Locus igitur a Proclo traditus docet, Numenium in voce *ψυχή* omnes perfectissimos Pythagoreorum numeros repperisse. Cum illa vox ex quattuor constet litteris, *τετρακτὺν* (*τὸν σύμπαντα ἀριθμόν*) animum appellavit. Singulas litteras quomodo tractaverit, legas Proclum narrantem. Ex Iamblicho laudata nesciens quae sint Numeniana, quae Ameliana, amitto. Inaniter vero insaneque philosophatum esse de his rebus Numenium, vel propterea verisimile est, quod 'divinus' ille Iamblichus contra eum scripsit, quem Numenii rationem esse nimis artificiosam neque sanam dixisse scimus [2]). Quocum iudicio conferas Zellerum (Phil. der Gr. V p. 657): 'Proclus findet diese Speculationen, in welchen Theodor einem Numenius und Amelius folgte, welche aber selbst

---

1) *Ὁ δέ γε θεῖος Ἰάμβλιχος ἅπασαν τὴν τοιαύτην θεωρίαν ἀπεῤῥάπισεν ἐν τοῖς πρὸς τοὺς ἀμφὶ Ἀμέλιον (οὕτω γὰρ ἐπιγράφει τὸ κεφάλαιον) καὶ δὴ καὶ Νουμήνιον ἀντιῤῥήσεσιν, εἴτε τοῦτον εἰς ἐκείνους ἀναπέμπων, εἴτε τούτοις ἐντυχὼν που ὅμοια γράφουσι περὶ τούτων· οὐ γὰρ ἔχω λέγειν.* Ex quibus patefit, iam Proclum de tempore quo vixerit Numenius nihil certi scivisse.

2) Proclus 226 C. *διελέγχει δὲ καὶ ἑκάστην ἀπόδοσιν ὡς ἐσκευωρισμένην καὶ οὐδὲν ἔχουσαν ὑγιές.*

einem Jamblich zu weit giengen, mehr sinnreich, als richtig; auf uns machen sie vor allem den Eindruck des Kindischen.'

De Numenii: *περὶ τόπου* libris praeter titulum nihil traditur. Attamen liceat mihi sententiam proferre, quaenam de spatio fuerit Numenii doctrina. Cum ille philosophus semper de Platonica aliqua proficiscatur sententia, mihi est persuasissimum, in his libris maxime ad clarissimum illum Timaei locum eum respexisse, ubi idem esse explanatur materiam et spatium (Tim. p. 52 A. D). Probasse se Platonicum illud ipse Numenius testatur, materiam dicens esse fluvium et altitudine et latitudine et longitudine infinitum (*περὶ τἀγαθοῦ* I fr. XI), quae notiones non quadrant in materiam, nisi eadem atque spatium est. Infinitis enim dimensionibus solum extenditur spatium.

Sed iam ad libros *περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς* translamus. Origenes l. c. alterum librum laudat, quod hominibus nonnulla interdum ostenta fieri Numenius in eo exposuerat. Neque vero commemorat, qualia miracula ille tractaverit. Numenius quae de anima docuisse feratur, infra exponam. Nunc huius libri num fragmentum sit servatum examinabo. Nemesius in libro de natura hominis conscripto [1]) ad refellendam eorum sententiam qui animam esse corpus putabant, profert argumenta, quae ex Ammonio, Plotini praeceptore et Numenio Pythagoreo dicit sumpta esse: *κοινῇ μὲν οὖν πρὸς πάντας τοὺς λέγοντας σῶμα τὴν ψυχὴν ἀρκέσει τὰ παρὰ Ἀμμωνίου τοῦ διδασκάλου Πλωτίνου καὶ Νουμηνίου τοῦ Πυθαγορείου εἰρημένα.*

Quaenam vero eorum verborum quae apud Nemesium sequuntur Numenio debeantur, difficile est diiudicatu. Ammonium enim Saccam nulla reliquisse scripta Longinus diserte contendit apud Porphyrium vit. Plot. cap. 20, neque quidquam ullus discipulus de eius doctrina tradidit. Ex eodem

1) cap. II. p. 69 sqq. ed. Matth.

Ammonio, qui dicitur, Nemesius excerpsit, quae inde a p. 129 affert. Eo vero de quo agimus loco ne id quidem certo discerni potest quousque id, quod Nemesius adnotavit, excerptum sit. Primo quidem obtutu illud verbis *οὐ σῶμα ἡ ψυχή* finiri putaveris, sed fortasse pertinent usque ad verba *χωρίζεται ἀσώματος οὖσα* (p. 82), de qua re audias Zellerum (V, 402, 2): 'Für die letztere Annahme könnte man die Stelle Seite 32 (p. 76) anführen, wo mit Bezug auf die Gründe des Kleanthes und Chrysippus gesagt ist: *ἐκθετέον καὶ τούτων τὰς λύσεις, ὡς ἐπέλυσαν οἱ ἀπὸ Πλάτωνος*, denn diess weist darauf hin, dass auch diess noch aus der Darstellung eines Platonikers entnommen sei.'

Si fides verbis Nemesii p. 69 sqq. habenda est, apparet ex eodem fonte ubi argumenta Ammonii qui dicitur et Numenii in unum conflata legebantur, omnia esse ducta quae a p. 70 usque ad p. 82 *ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ σῶμα, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων* exstant. Nemesium alterum excerptum ex Ammonio adlatum exprompsisse ex Hierocle Zellerus, Phil. d. Gr. V p. 400 sqq. demonstratum ivit, sed non demonstravit. Nam Hierocles ille non nisi in libro VII *περὶ προνοίας* Ammonium aliosque Platonicos congruos esse cum Platone demonstravit. Quo uno loco constat, eum de Ammonio accuratius egisse. Vides igitur, si tam accurate singula quaeque argumenta Hierocles relaturus erat, qualia a Nemesio afferuntur, non unum ei potuisse sufficere librum, sed multis opus fuisse. Contra prorsus probo illam quam Vsenerus benigne mecum communicavit sententiam, Nemesii auctorem esse Amelium, quippe qui Plotini discipulus in Numenio tractando enixe elaboraverit atque ea, quae apud Plotinum audiverat in centum libris qui inscripti fuerunt *σχόλια* digesserit (Porphyr. vit. Plot. c. 3. 4). Plotinus vero curabat in scholis suis legendos locos Severi, Cronii, Numenii aliorum eorumque doctrinas secundum Ammonii sententias interpretabatur (Porphyr. ib. c. 14). Quodsi recordaberis Plotini et Numenii doctrinam sine dubio inter se simillimam

fuisse (Porphyr. ib. c. 17. supra p. 5), quid tibi probabilius erit, quam e libris illis Amelii emanasse ea quae feruntur apud Nemesium? Inde hoc quoque elucet, quomodo factum sit, ut una commemorentur Numenius ex Ammonius.

